



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens primos 25. Psalmos

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, [1761]

VD18 15558428-001

Psalmus XV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53377)

dit ad usuram, & munera super innocentem non accepit.

Exposuit in genere virtutes viri probi; nunc in particulari attingit vitium unum, quo carere debet futurus Cæli hæres, nempe avaritiam, utpote quæ est radix malorum omnium. Avaritia locum habet vel in fraudibus, quæ committuntur in contractibus licitis: *Qui jurat proximo &c.*; dein in contractibus genere suo illicitis: *Qui pecuniam &c.*; vel in muneribus: *& munera super innocentem, hæc ad eum opprimendum, non accepit.* Errant aperte Judæi, qui usuram licitam existimant.

Qui quisceit hæc, non movebitur in æternum.

Non movebitur, habitabit securus in tabernaculo Dei, ac requiescet in monte sancto, ejus sine ullo timore cadendi à tam felici loco.

PSALMUS XV.

Titulus: *Tituli inscriptio ipsi Davidi. Titulus, & Psalmus obscurissimus est. ex græco videtur sensus esse, Titulus*

memorabilis, dignus qui nunquam aboleatur.

Argumentum est Oratio Christi ad Patrem: & eadem accommodari potest membris Christi tum unversis., tum singulis.

Ps. 124. *Conserva me Domine, quoniam speravi in te. Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.*

Loquitur David in personâ Christi patientis. Protege me ab imminente tribulatione, quoniam speravi in Te solo, non in ullâ creaturâ: ideo confessus sum Tibi Domino, quod Tu supremus Dominus meus sis, qui nullâ ratione à me dependes; sed ego bonis tuis indigeo, & ideo in Te solo spero. In Christo passibili non fuit spes, quæ est virtus Theologica, & respicit beatitudinem animæ, ut docet S. Thom.; fuit tamen spes, quæ est fiducia, & expectatio gloriæ corporis, & aliorum, quæ nondum habebat.

Ps. 138. *Sanctis, qui in terra sunt ejus, mirificavit omnes voluntates meas in eis.*

Quia Deus bonorum meorum non indi-

indiget, ideo benefacere studeo electis
 ejus: cujus meæ bonæ voluntatis ipse
 Deus mihi testis est, qui sanctis, & ele-
 ctis suis, qui sunt in terra ejus, reddi-
 dit mirabiles voluntates, h. e. omnem be-
 nevolentiam meam, & studia erga illos,
 declarando illa per Prophetas, figuras,
 miracula Christi, Apostolorum.

✱. 3. *Multiplicatae sunt infirmita-
 tes eorum, postea acceleraverunt.*

Explicat effectum benevolentiae Chri-
 sti in electos. Qui antea debiles erant ob
 vulnera gravissima peccatorum, ita ut
 ambulare non possent; postea sanati, &
 fortes facti per gratiam, currere cæpe-
 runt viam mandatorum Dei. Sic in prin-
 cipio Ecclesiæ homines ab idololatriâ ad
 martyria festinabant.

✱. 4. *Non congregabo conventicula
 eorum, de sanguinibus, nec memor
 ero nominum eorum per labia mea.*

Non placebunt mihi sacrificia eorum,
 quæ sanguinis effusione constant, ideo
 non ero author, ut tales cæcus idolola-
 trici fiant; imò istiusmodi sacrificia ne
 nominari quidem volo. Ideo electi in



Christo, & mundati à peccato, ceperunt currere viam mandatorum Dei.

Ps. 5. Dominus pars hereditatis meae, & calicis mei, tu es, qui restitues hereditatem meam mihi.

Hæreditas, & calix idem significant. Vide Ps, 10. v. 7. Dixerat, se detestari idola, & peccata; jam dat rationem: *Dominus pars &c.* quidquid omnino exspecto, mihi Dominus est, ipse mihi est omnia. *Tu es &c.* Christus adhuc mortalis nondum planè possidebat hæreditatem; & nos cum hæc dicimus, desiderio quidem omnia bona in Deo habemus, sed nondum re ipsa possidemus. Possessio tamen apud Deum deposita est, & nobis aliquando restituet, ut Christo restituit in die resurrectionis.

Ps. 6. Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hereditas mea præclara est mihi.

Similitudine ducta à terrena hæreditate declarat præstantiam hæreditatis æternæ. Funiculis mensurari solebant campi, qui ex hæreditatis divisione obtingebant, & quia divisio sorte fiebat, ideo

ideo dicebantur funiculi in præclaram
partem cadere, si pars hæreditatis opti-
ma contingebat. *Funes &c.* optimam
hæreditatem forte felicissima consecutus
sum. *Etenim &c.* idem est.

7. *Benedicam Dominum, qui tri-
buit mihi intellectum, insuper &
usque ad noctem increpauerunt me
renes mei.*
Gratias agit Deo, qui inspiravit illi
consilium, & accendit desiderium, ut
tam præclaram hæreditatem eligeret.
Intellige per *ad noctem* tempus tribulatio-
nis, *in* *crepauerunt* erudiorunt; *renes*
desideria. Sensus: non solum tempore
prosperitatis, sed in ipsa aduersitate af-
fectus meus in Deum accensus erudivit
me, excitans ad passionem, in quo animo
subeundam, ac semper de Deo bene spe-
randum.

8. *Providebam Dominum in con-
spectu meo semper: quoniam a dex-
teris est mihi, ne commovear.*

Ex illo intellectu & affectu bono
profectum est, ut semper Deum ante
oculos haberem, nam ut cogitavi, ira

oahi

Deus



Deus mihi revera adest, tanquam adjutor fortis, ut perseverem usque ad finem.

✠. 9. *Propter hoc lætatum est cor meum, & exultavit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe.*

Explicat nunc præclaram illam hæreditatem. *Propter hoc &c.* quia Deus mihi adest adjutor, lætatus sum lætitiâ vcrâ, & solidâ, quæ per linguam exultat exterius. *Insuper &c.* animus lætabitur, & caro obdormiet in morte placidâ, securâ ob certam exspectationem celerissimæ resurrectionis.

✠. 10. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.*

Nec anima Christi relicta est apud inferos, in Limbo scil. Patrum; nec caro in sepulchro experta est ullam putrefactionem. Et cum membra Christi sumus, animæ nostræ non relinquentur in inferno, sive Purgatorio, nec caro nostra videbit æternam corruptionem.

✠. 11. *Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo; delectationes in dextera tua usque in finem.*

Do-



Docuisti me vias, seu modum, ceteris ignotum, scil. post mortem redeundi ad vitam. *Adimplebis* &c. gloriosum, beatum facies me, Vultum tuum mihi ostendendo; ex visione enim Dei, in quâ consistit essentialis beatitudo, redundat gloria in corpus, quâ Christus adhuc carebat, nam gloriam animæ à conceptione habuerat. *Delectationes* &c. Imò ad dexteram collocabis me in cælis, ubi sunt delectationes sinè fine.

PSALMUS XVI.

Titulus: *Oratio David.*

Argumentum: *Psalmus est oratio iusti, persecutionem injustè patientis, quâ precatur à Deo liberationem. Ducit autem argumenta, primum ab innocentia suâ; secundum à justitiâ Dei; tertium à misericordia ejusdem; quartum à malitiâ impiorum, justos persequentium.*

✱ 1. *Exaudi Domine justitiam meam: intende deprecationem meam.*

✱ 2. *Auribus percipe orationem meam, non in labiis dolosis.*

Pri-